

cium sponte remittente , orta est inter Archiepiscopos & Episcopos de sufficiendo in ejus locum Patriarcha dissensio , tantaque vi in partes rapuit , ut parum abfuerit , quin funesto schismate ab invicem divellerentur . Tuo tamen jussu , utriusque partis rationibus atque momentis exacte perpen- sis , imperasti ventis & mari , & facta est tranquillitas magna . Decreto enim in Syriam allato , quo legitimum Orthodoxæ genti Patriarcham dedisti , omnes subinde Archiepiscopi , Episcopi , Clerus , & univerfus Græcorum Melchitarum populus , debitæ in Apostolicam Sedem editis reverentiæ argumentis , omnino acquieverunt .

Hæ sunt itaque , BEATISSIME PATER , potissimæ rationes , cur istud qualemque est Opus , nomini Tuо nuncupare decreverim , unaque eum me esse publice fateri , qui singularibus a Te sim cumulatus beneficiis . Quod reli-